

quemadmodum a Patriarcha in compendium est redactum.

*Cap. 4.* Constitutio 6. tit. 12. lib. 3. Cod. Dominicum diem feriatum esse dicit. Et Constitutio 9. ejusdem tituli, eadem die neminem debiti admoneri, aut a quoquam fidejussiones, debitum ve vel publicum vel privatum exigi: neque in judicio agi: neque scenicum spectaculum, aut arenarium venationem, aut circense certamen celebrari. Quin et si natalis Imperatoris in Dominicum diem incidat, spectacula differri. Qui spectaculis Dominico die interfuerit, & qui apparitor legem transgressus sit, eum militia privari, ejusque patrimonium proscribi. Licere tamen eo die, pacisci & transfigere. Dicuum est autem lib. 1. Tit. 9. Constit. 2. & 13. quod Judei die Sabbato, alisque ipsorum festis diebus, neque corporale munus obeunt, neque quicquam faciunt, neque propter publicam privatamve causam in jus vocantur, aut ipsi Christianos in jus vocant. *Bals. Schol.* Constit. 6. tit. 12. lib. 3. Cod. & Constit. 9. ejusd. lib. & tituli, sunt cap. ult. tit. 17. lib. 7. Basilicorum, quod sic prope habet, ut in textu comprehensum est. Verumtamen ipsæ Constitutiones diei Dominicai dumtaxat mentionem faciunt; Basilicum vero, uti omnis dies divina maiestati assignatus, similiter honoretur, statuit: ac addit, ut apparitores, advocati, atque præcones taceant, & licete quacunque pacta conciliativa ineantur, idque non solum per forensia scripta, verum etiam per acta judicialia. Natalia autem sunt Imperatorum natalitia, eorumque designatio. Constitutio 2. tit. 9. lib. 1. Cod. non est posita in Basilicis. Constitutio vero 13. ejusd. lib. & tit. 1. est lib. Basilic. 1. tit. 1. cap. 38. quod habet, ut in textu scriptum est.

*Titulus VIII.* Cap. 1. Const. 6. tit. 2. lib. 1. Cod. ait, quod quæ Canonieæ dubitationes per universum Illyricum emergunt, eas non absque scientia Antistitis urbis Constantinopolitanae (quæ veteris Romæ prærogativas habet) ejusque Sacerdotalis conventus oporteat deci-